PROGNOS
TICON D. IOANNIS MVS-
ſemij Germa. ſuper anno incarna. Dñi
noſtri IESV CHRISTI milleſimo qui-
genteſimo quadrageſimo quarto
ex optimis uetuſtiſſimiſq;
Aſtrologis collectum.



EXCVDEBAT Londini Ioannes Mayler.
Anno Domini. 1544.





qu
pi
ni
gr
on
ſci
ig
bo
bu
di
hi
ue
fo
ex

AD LECTOREM.




IHIL est, quo facilius ad uerā uiam uirtutis & ueritatis & fraternam dilectionem peruenitur, quàm sola scientia & eruditione, quę reddit hominē omnibus in rebus pium, mitem, ac familiarem. Et cōtra nihil potest homine imperito esse agrestius aut rudius, quia cum inerssit, omnem sciētiā detestatur: nā (ut aiūt) scientia nullum habet inimicum quàm ignorantem. Igitur quicquid hic scribo, illud doctis, aut saltem amatoribus sciētiarū scribo, qui omnia cum iudicio legunt, sincerè iudicant. Legant hi meum Prognosticō, sed non quòd uelim iuramēto affirmare, hęc omnia fore uera ut euangelica, sed quòd hęc ex uera scientia Astronomiæ collecta

sint & ad nutum Domini permutāda. Nam quemadmodū qui predixit per Ionam prophetam perituram Niniuē quamuis pepercerit illi, Nunc æquè pius et misericors est Dominus ac fuit olim. Igitur precemur et nos quoq; ut uelit mutare bella in pacem & cōcordiam, nam omnia sunt in manu Dei, & siue uiuimus, siue morimur, Domini sumus: qui dignetur nos emendare & perfectos facere in fide catholica, ut possimus post peregrinationē hanc, cohęredes esse filij Domini nostri Iesu Christi. Amen.

¶ Eclipsis Lunę prima.

ECLipsis Lunę erit decimo die Ianuarij nunc proxime, hora quinta. min. 38. ante prandiũ, Incipiens mane hora tertia. min. 54. finiens hora septima. minu. 22. ante prandiũ per spatium trium horarum & min. 28. & erit eclipsis uniuersalis, quia ferme obtenebrabitur per integrã horã. Regiones & ciuitates ubi hęc eclipsis operabitur secundum Ptolomęum. 2. quadrupert. 5. sunt: Numidia, Africa minor, Bethinia, Phrigia, Colchis, Italia, Germania, Gallia, Anglia, Iudęa, Caldęa, Phoenix, Idumea, Palestina, Cyprus, Asia minor, Casperia, Serica, Capadocia, Thracia, Mauritania,



 tania,

tania, Getulia, Aethiopia, Lydia, Cilicia, Hetruria, Celtica, Hispania, Arabia & cętera, & operabitur ferme quatuor menses incipiēs in principio Octobris anno instāte quadragesimo quarto usq; ad mediū Ianuarij anni sequentis. Vehementissimè operabitur in Decembri, & maximè uersus occidentem secundū Ptolomęum. 2. quadrupertit. 6.

De Vi & efficatia huius Eclipsis.



CAncer signum eclipsale aqueum significat naues & animalia marina. Saturnus dn̄s finium, Mars dominus triplicitatis. Et Iuppiter dominus exaltationis. Isti tres in Scorpione, cō firmant idem in mare naufragia, aedificia,

ficia, & fundamenta euertenda, Mercurius dominus anguli pręcedentis in Capricorno confirmat ſuas operationes in hyeme, tã in brutis, quàm hominibus. Saturnus dominus termini aſcẽdens in ſecunda & tertia figura, ſignificat multas deſtructiones, tã ædificiũ, fructuum, animalium terratum ac marinorum, quàm hominum, prouenientes ex magna frigiditate: eò quod fit in hyemẽ: patientur permulti naufragium, rari capientur piſces, eruntq; nebuloſa & peſtilẽtia aëra, unde prouenient multe ægritudines & craſſi humores. Nam Mars dominus triplicitatis cõſtitutus in domo undecima & decima, confirmat deſtructiones à piratis & horribilibus uentis, magniſq; tempeſtatibus in mari. Significat etiã
diſſentio-

dissentiones, discordias, iram, cōmotiones multas in populo. Item eclipsis in signo solstitiali & in Occidente significat cōmutationes morum & legum. Et propterea quod sit eclipsis uniuersalis eò magis operabitur, presertim quia Saturnus, Iuppiter, & Mars significatores huius Eclipsis existētes in signo magne coniunctionis. Cancer signum eclipsale significat generaliter per totum orbem ut dicit Abraham Iudeus in libro rationum.

Eclipsis Solis huius anni.



ECLipsis Solis erit uigesima quarta Ianuarij hora octaua mi. 41. ante prandiū eritq; uniuersalis inter undecimum & duodecimū

punctum

punctum, quò splendor solis adimitur, incipietq; hora septima, min. 38. & finiet hora nona, min. 44. ante prandium per spatium duarũ horarũ & sex min. Regiones & oppida ubi hæc Eclipsis operabitur, sunt: Saromatica, Sogdiana, Arabia deserta, Armenia, Hircania, Aegiptus inferior, Serica, Thebais, Casperia, Cyprus, Cyclades, Mauritania, Getulia, Cyria, Cappadocia, Trapezontia, Chaldea, Italia, Germania, & nos hic in nostris regionibus nõ erimus omnino immunes scilicet Gallia, Anglia, Flãdria, Brabantia, Phrisia & cetera, secundũ Ptolomeũ. 2. quadrup. 5. Hæc eclipsis habebit potestatẽ suam per duos annos, unum mẽsem & unam hebdomadam scilicet à prima Februarij huius anni quadragesimi

quarti usq; ad mediũ Martij anni. 46 tamen maximã potestatem habebit in octo prioribus mensibus & operabitur multum, quia est fere uniuersalis. Præterea quia est in angulo Orientali & Saturnus dominus eclipsis Orientalis ascẽdẽs Septemtrionalem, coniũgitur Marti aspicienti solem aspectu iniquissimo, ut ait Ptolomęus. 2. quadru. 6. & . 96. propo. Hęc eclipsis multum nocebit fructibus, uolatilibus, pecoribus, & presertim hominibus iunioribus, quia uenit in signo hominis nocebit & multũ ecclesiasticis & magnatibus.

De efficatia huius Eclipsis.

IVppiter & Venus domini huius eclipsis aliquãdo mala bonis mitigabunt, quãuis mira nequitia malis stu-debũt bonos opprimere, quia Saturnus & Iuppiter ambo stationarij stati one prima trepidantes uertentes sese in iniquissimũ signum Scorpionis: & Saturnus accensus malitia & iniquitate præcedentis coniunctionis Martis in signo igneo exaltatus super Iouem, vnde prouenient mala, frigida, nebulosa, & intẽperata aëra, uenti horribiles & pestilẽtiales, morbi uarij, humores pessimi, inundationes magnę, ueneni plurimum, quod erit impedimento, quò minus triticum, siligo, hordeum, & omnia edentia, crescant. Inter homines regnabit pro fide fraus, pro

amicitia inuidia, pro beneuolẽtia simultas, pro concordia ira, pro amore odium, ut uix inter mille poterit uerus amicus inueniri. In coniugio moliẽtur multi diuortium. Insurget gens contra gentem, ecclesiasticus in laicũ, erunt multi graues & pessimi morbi fames ĩtollerabilis in populo, mortalitas magna, presertim in senibus & rusticis, quia Saturnus & Iuppiter maiore parte anni erũt in Scorpione. Mars uero in domibus Saturni molietur nihil boni, sed producet tonitrua horribillia, fulgura maxima, crebros uẽtos, tẽpestates magnas, homicidia multa, discordias plurimas, rixas impudicas, et morbos calidissimos in iuuenibus, usq; adeo ut (nisi Iupiter & Venus mitigẽt) totus mundus erit in malitia positus.

Constel

Constellationes huius Eclipsis ægre euadent, qui nati sunt circiter uigesimum quartum Ianuarij & uigesimum septimum Iulij secundum Apoteles.8.

De secunda Eclipsi Lunę.



HAec Eclipsis uniuersalis Lunæ magna & horribilis intra decimum octauũ pũctũ, erit quarta die Iulij hora octaua post prandium, Incipiens hora sexta min. 5.& finiens hora nona min. 47. post prãdium obtenebrabiturq; Luna sesqui horam,eritq; hec eclipsis a principio usq; ad finem per spatiũ trium horarũ.min.42.non quòd apud nos tam diu apparebit,quia in Oriente incipiet:sed ubi plenè & perfectè uidebitur

est, Cōstantinopolis, Macedonia, Achaia, Callipoli, Hierusalem, Babilonia. Hæc eclipsis cōfringet domum uitæ in medio profundissimarum tenebrarum & tunc apparebit Luna nigra ut olla, ueniens cum Marte in domo miseriç afferēte omnia genera dolorum & calamitatum.

De potestate huius Eclipsis.



Aec eclipsis ostendet potestatem suam in his regionibus præcipue, super Grecia, Thracia, tota India & quia ueniet in signo solstitiali, & extēdet uim suam in omnibus finibus terrarum ut Hispania, Hibernia, Scotia, Anglia, Gallia, Italia, Germania, Palestina, India, Arabia, Mesopotamia, Babilo

Babilonia, & cætera, sed magis opera bitur in una regione q̃ in alia & hoc fere per spatiũ quatuor mensiũ scilicet a fine Maij usq; ad Septembrem anni præsentis. Et maximam potestatem habebit apud nos in Augusto & hoc in omnibus terrenis, aquaticis, aërijs & hominibus. Prȩsertim in uariatio nibus ceremoniarũ, morum, legum, conditionũ & omnium cõsuetudinũ, consumetq; fructus terrenos, patientur multi naufragium, rari capientur pisces, eruntq; magnæ tẽpestates, uenti horribiles, tonitrua terribilia, & fulgura maxima, terremotus ingens, morientur pecora multa, homines, tam iuuenes, q̃ senes diutinis calidisq; morbis consumentur, terra pro tritio, producet tribulos eritq; humidum & nebulosum

bulosum aër quod producet ubique uermes in magna copia & locustas & omnia genera serpentium.

De tertia Eclipsi Lunæ.



HAec eclipsis Lunæ uniuersalis magna. 14. punctũ. erit uigesima nona Decembris hora quinta min. 52. ante prandium: incipiens hora quarta mi. 4. & finiens hora septima. min. 40. ante prandiũ per spatium scilicet triũ horarum & . 6. mi. & obtenebrabitur Luna per spatium unius horæ, & non operabitur nisi anno futuro, scilicet quadragesimo quinto per spatiũ triũ mensium & duarũ hebdomadum, scilicet á fine Septẽbris usque ad finem illius anni: Igitur seruemus illud in annum proximum.

De

De dominis huius anni.

SAturnus & Mars huius anni & istarum coniunctionum, quæ hoc anno erunt, domini sunt. Isti duo planetarũ infortunatissimi, ferunt omne malũ, exulat pax, charitas occluditur foras, fides agoniat, & sedet Mars furibundo animo, in solio triũphali, sunt illi famulæ, inuidia, odium, ira, homicidiũ, tam inter uulgus & laicos, q̃ principes & ecclesiasticos, æque priuatim ac publice, cũ astutia, hipocrisi, proditione, furto, incendio, adulterio, latrocinio, & omni genere scelerum & hoc fit quia cadit secunda Eclipsis Lunæ in horoscopo, secundũ Ptolomæũ sent. 96. Præterea quia est uniuersalis & domini sunt occidentalis stationarij statione .2. Ptolomæum. 2. Apoteles.

De magna coniunctione Saturni & Iouis quæ hoc anno erit.

OMnia que in mundo aguntur, ut Ptolomæus ſcribit propoſitione quinquageſima, cognoſcuntur coniũctione centeſima decima nona. Nam queadmodũ per præcedentes coniunctiones excitantur regna huius ſeculi in cõmotiones & bella: Ita per contrarias coniunctiones rediguntur in pacẽ & concordiam. Albumaſar in libro coniũctio. tracta. 3. Natura enim agit per conuenientia media, teſte Philoſopho. Iſta magna coniunctio, (mutata triplicitas aërea in aqueã) in qua nunc ſumus incepit ante ducentos & quadraginta annos, & fuit interea quater in crudeliſſimo ſigno Scorpionis. Prima cõiunctione erat ſemen ſeminatũ.

Secunda

Secūda creuit. Tertia floruit. Quarta fructum amarulētię & acerbitatis protulit, quod post hūc annū per generalem renouationem paulatim mitigabitur, quia nunc omnia maturata sunt in quinta & ultima coniunctione & hoc in Scorpione. Præterea hoc anno quadragesimo quarto, uigesima quīta Septēbris hora octaua post prandium cōiūgūtur Saturnus & Mars in. 28. grad minu. 25. a Scorpione domo Martis in dua coniunctione Saturnus exaltatur ut Iuppiter, sedens ut rex in maiestate sua, quò magnificētia Saturni apud oēs agnoscetur Ptolom. Propo. 93. Ut latius hanc cōiunctionem explicarem (diligēter perscrutatus opiniones multorum Astrologorum super hac multa scribentium: ut Ptolomæus, Albu-

 masar,

masar, Abraham Iudæus, Auenezra, Messah, Albericus, Alchabitius, Alchindus, Haly, & alij plures) aliquantulũ temporis perscrutãdo & uoluẽdo authores, insumpsi. Verũ ne prolixius ui dear alligationes omittam, tantum opiniones & sententias eorũ breuiter exponam. Primo hęc coniũctio significat inter ecclesiasticos odiũ, inuidiã, discordiam, dissentiones, auaritiam, incontinentiã, luxuriã, malas & prauas opinionesque extendẽtur in omnibus fiinibus terræ. Veluti Adam eiectus est ex paradiso uoluptatis, ita propter malam uitam & scortationes, priuabũtur multi ecclesiastici suis beneficijs, ut testatur Theophilus, Ioachim abbas, quia Iuppiter oppressus in Sagittario domo propria & signo religio-

nis. Item iſta cõiũctio toties renouata in immundiſſimo ſigno Scorpionis, ut ait Abraham Iudæus, in lib. ſapientiæ & Lupoldus tract. 5. Indicat falſos cõcionatores, ſeductores ouium, uitijs & immũditia pleni. Vt ait Matthæus ſeptimo. capit. Cauete uobis à Pſeudo prophetis, qui ueniũt ad uos in ueſtitu ouium, ſed intrinſecus ſunt lupi rapaces. A fructibus ipſorum cognoſcetis eos. Et Paulus ad Timotheũ quarto: Spiritus autẽ certo loquitur, quod in poſterioribus temporibus deſceſcent quidam à fide; attendẽtes ſpiritus impoſteribus ac doctrinis dæmoniorũ, per ſimulationẽ falſiloquorũ, cauterio notatam, habentem conſcientiã. &c.
In ſecunda triplicitate erant ſeniſſimi tyranni, ut Nemroth, Pharaõ, Nabu-

chodonoſor, & plurimi Pſeudopro-
phetę. Et in tertia triplicitate, ſcilicet
in incarnatione Chriſti ſeruatoris no-
ſtri fuerunt: Attilia, Ottomannus. Itē
inter eccleſiaſticos: Arrius, Eudoxus,
Macedonius, Vigilãtius, Pelagius,
qui fuerunt Pręcurſores Antechriſti.
Et nunc in iſta. 4. triplicitate uenit An
tichriſtus, de quo Paulus mentionem
facit. 2. Theſſalonicē. 2. quod in nouiſſi
mis temporibus uēturus ſit Antichri-
ſtus, quod procul dubio nunc inſtat.
Hiere. 2. Itē inter principes ſeculares,
diuites, & uiros potentes indicat hæc
coniunctio, bella, odium, inuidiam,
fraudes, inimicitias, terremotū cum in
genti deſiderio belli, multi belligera-
bunt contra Cæſarem, & erit regnum
contra regnū, ut ait Matthæus uigeſi-
mo

mo quarto: non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruetur. Videte ne quis uos seducat. Multi enim uenient in nomine meo, dicentes: Ego sum Christus: multosq; seducent. Audituri estis bella, & rumores bellorũ, uidete ne turbemini. Oportet enim omnia fieri hæc, sed nondum est finis. Consurget gens contra gentẽ, regnũ contra regnum, & erunt pestilentiæ, fames, & terræ motus singulis locis. & cætera. Mercurius in signo Aquario significat oppressionem nobilium, ab ignobilibus. Albumasar in lib. coniunctio. & Abraham de seculo: Saraceni & Turcæ superuenient aliquãdo Christianos, ut nunc longo tempore fecerunt, uidelicet plus quàm ducẽtos & quadraginta annos, quia tam diu

fuit

fuit ista triplicitas, & generatio istius Ottomanni imperatoris Turcarũ qui diu oppressit Christianos, sed nũc breui genealogia & potestas Turcarum finietur, quia imperator auxilio diuino superabit omnes inimicos suos, & stirps Ottomanni Solymanni Imperatoris Turcarum extirpabitur radicitus, & imperium suum ui eripietur nostro Cæsare, quia triplicitas aquea mutabitur in igneã, modo' principes Electores Germani conueniant cũ Cæsare, alias ueniret Turca usq; ad Coloniam Agrippinam ibiq; occideretur, secundũ prophetiam Marlinam.

Status & conditiones hominum.

ECclesiastici, quibus est, unde uiuant, secundum Paulum se gerãt, & orent pro rege & populo, ut Dñs noster

noster Iesus Christus uelit auertere irã suam à nobis & misereri nostri, quamuis maxima dissentio erit inter eos, & inuidiæ non minus, hæc considerent & caueant sub iipsis, & diligẽter attendãt, quid Paulus illis precipiat. Laici operarii & cõmune uulgus erit inter se inconstans, & multum uariabile, regnabitq; pro amicitia, inuidia: sed non florebit inter eos superbia, propter multas angustias, & intolerabiles tribulationes. Attamen satis bene laboribus manuum suarũ uiuẽt. Discant igitur timere Dominũ, quod initium est sapientię, & ambulent in charitate, & timore Dei, quia tempus futuri seculi appropinquat, & extrahat quisq; sua uitia, & induat arma lucis, abiiciẽs omnia opera tenebrarum, & absq; dubio

auertet Dominus iram suam à nobis.

De coniunctione Saturni & Martis.

HVius anni domini Saturnus & Mars (ut supra satis apertè declaratum est) miscēt sacra prophanis, multis ĩiquitatibus tàm publicè, quàm priuatim, atque inter ecclesiasticos ac laicos, quod confirmat Mars existens orientalis in reuolutione anni. Abraham in lib. de mundo & seculo, quod confirmant magnę & horribiles eclipses, ut Hali filius ait. can. 4. primæ partis inquiens: Quia potens dominus à rege, aut principe suo opulētissimè ꝗ plurimis beneficijs dotatus quia luna omnem efficaciam & omnem splendorem habet à Sole domino omnium planetarum

netarũ moliĕtur clanculũ proditionẽ principis ſui, quęrens diminuere poteſtatem ſuam, & multum nocere *illi*, ut Luna ueniẽs in oppoſito Solis, adimit illi ſplendorem. Sed hoc anno iterum Sol ueniens in oppoſito Lunę integrũ illi ſplendorem adimet, & hoc fit, ter iſto anno, quo ſignificatur, ſubditos aut officiarios principis alicuius, mirũ in modum deprimẽdos fore & amiſſuros omnem ſubſtantiam, à principe adeptã, & uẽturos in maximã indignationem principis, ita ut nõ erunt poſt hac digni dici famuli principis. Hæc Haly in coniunctione magna huius anni, & hoc ideo, quia Iuppiter oppreſſus à Saturno.

De infirmitatibus huius anni.

ECLipsis Solis cuius significator est Saturnus in domo Martis cũ Marte, obsesso Ioue, infortuniis intrando domum septimã, significat multos & usq; adeo graues morbos, ut Medici, inde parum lucri habebunt, quia cito moriẽtur, secũdũ Prolomæũ sentẽ. 57 & hoc eteam ex Eccipsi in Iulio inficienti domum uitæ, hoc cõfirmat Saturnus & Mars in domo infirmitatum in reuolutione huius anni & presertim in æstate, per Saturnum dominũ huius Eclipsis Lunę retrogradum, in signo uenenoso Scorpionis, quia inde ueniet epidimia & grauis mortalitas, ut inquit Haly pert. 8. capit. 6. Item multæ malę & diutinæ infirmitates, præsertim in regionibus frigidis maritimis. Imprimis isti cauebunt sibiipsis qui intrant

trāt annos ſubſcriptos, ſcilicet annum ſecundum natiuitatis ſuæ, aut. 7.9.14. 16.21.23.28.30.35.40.44.49.51.56.58.63. 65.70.72.&c.

De quarta Triplicitate.

PRopter magnificientiam Saturni nimis corroboratam per mercurium, quia fortificat naturam fortioris ut teſtatur Albumaſar, in libro coniunct. erunt diſcordiæ multæ, concertationes magnæ in populo, rixę pluriſmæ, homicidia, inobedientię, tā inter eccleſiaſticos, quam laicos, uiuentibus magis ut bruta, quam homines: libido luxuria, immunditia regnabit ubiqꝫ, propter immundiſſimum ſignum Scorpionis: pudor & uerecundia nō inuenientur quidē in Virginibus, ut taceā

mulie-

mulieres, boni ubiq; persequẽtur propter Iouem oppressum in domo Martis, atq; etiã Mercurium cum Ioue oppressos circa cor Scorpionis in signo igneo, unde fames, bella, pestilentia, angustia magna erit in terra, ut Albumasar tract. 6. Igitur quicunq; Christũ amat, & propriam salutẽ quærit, legat Matthei. 24. Pauli. 1. Timoth. 4. & 2. Thessa. 2. & 2. Timothæum. 3. ubi sic habetur, quod in extremis diebus instabunt tẽpora periculosa. Erũt enim homines sui amantes, auari, fastuosi, superbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati impij, carentes affectu, nescij fœderis, calũniatores, intemperantes, immites, negligentes bonorũ, proditores, præcipites, inflati, uoluptatũ amantes, potius quam Dei. & cæte.

PROGNOSTICON.

Nūc facile signis & prodigijs, quæ in dies fiunt, potest uideri nouissima imminere tempora, per cursus astrorum & cōiunctiones Planetarum, quę hoc anno erunt. Nam Christus erat incarnatus, ut testatur Albumasar, & Abraham Iudęus, in triplicitate terrea cum coniunctione præcedenti Saturni, & Iouis in Virgine: sic oportet Antichristum uenire in coniūctione cōtraria, scilicet Saturni & Iouis in Piscibus, in triplicitate aquea, ut est hoc anno, scilicet, in uera oppositione natiuitatis Christi. Nam cōstellationes oppositorum signorum, sunt cōtrariorum effectuū, secundum Astrologos, & potest aperte uideri in primo cap. Euangelij Lucæ ubi tēpore natiuitatis Christi, nihil erat tranquillius, & quid potest

nunc

nunc esse peius aut odiosius? Et post hac non est talis cõiunctio expectanda. Quia secundum computationem Alfonsi: fuit in principio creationis celi & terra, motus proprius octauæ spere, et inceperat mouere à principio Arietis faciendo quatuor stationes æqualiter distantes, scilicet mille septingentos & quinquaginta annos, & unaquęq; statio incepit cũ generali renouatione mundi. Prima fuit in triplicitate aquea, significans diluuium uniuersale & destructionem in aquis. Secunda fuit in triplicitate aërea, significãs legem Moysi. Tertia in triplicitate terrea, significãs Christum. Quarta in triplicitate ignea, quæ nunc incipiet, significans generalem destructionem totius mundi per ignem, ut facilè studiosus

diosus poterit inuenire apud Danielē, de hebdomadibus. Itaq; numerus harũ reuolutionũ adimplebitur cum numerabuntur anni ab Adam septies mille, sed nũc abreuiabit Dñs tempus propter electos, ut patet in sacris, sed quantũ abbreuiabit nemo scit neq; in celo, neq; in terra. Et ab Adam usq; ad prę sentē annum quadragesimum quartũ, secũdũ computationē Eusebij, Orosij Isidori, Bedæ, Augustini, sunt sexies mille septingenti & quadraginta tres anni, deessent igitur a sexies mille, ducenti & quadraginta septem anni: Verum secundum cõputationē Alfonsi, Albumasar, & aliorum Astrologorũ, non deessent nisi centũ & uiginti octo anni. Vigilemus igitur, quia nescimus qua hora Dominus uenturus sit, sed

hoc unum ſcimus & uidemus ante ocu los, quod tẽpus prope eſt, & abbreuia bit Dominus dies propter electos, & ueniet tanquam fur in nocte, ergo ui- gilemus & oremus ſine intermiſſione, & ſic uiuamus, ut credamus nobis om nem diem deluxiſſe ſupremum.

De quatuor temporibus anni.

HYEMS.

HYems incipit anno.43. duodeci- ma Decembris, hora octaua, mi. 18. ante prandium ſole eunte in Capri- cornum, quod conuenit cum præuen- tione præeunte. Itaq; erit Hyems in principio frigida, humida, nebuloſa, & uentoſa, & pluuijs mixta, et ſic pau latim frigidior cum niue, grandine, & gelu.

VER

VER.

VER incipiet, intrãte Sole Arietẽ fixũ decima Martij, hora nona. 45.min.ante prandiũ, cuius depositio erit multum uariabilis cum intemperato aëre & tempestuoso uento.

AESTAS.

AEstas incipiet undecima Iunij intrante sole Cancrũ, hora octaua, 40.mi, post prandium dispositio istius erit intẽperata, humida, cum magnis nociturus tempestatibus.

AVTVMNVS.

AVtumnus incipiet decima quarta Septembris, intrante Sole Libram, hora decima.min.10.ante prandium in principio intemperatus, humidus, sed in fine melius.

DE SORTE ET NATV
ra aut fortuna& operibus subdi-
torum duodecim zodiaci
signorum.

ARIES.

NAti sub Ariete, ut homines per-
uicaces, feroces truces, fortes &
huiusmodi prosperabūtur hoc anno,
sic facient & omnia appropriata Arie
ti, crescetq; fama illorum. Aduersa ta-
men tempora erunt a. 26. die Martij,
usq; ad. 2. Octobris.

TAVRVS.

NAti sub Tauro, ueluti homines
uoluptati, munditiæq; corporis
inseruientes, simul cum alijs illis addi-
ctis, plurimos habebunt amicos, ac be
neficijs cumulabuntur, obseruare de-
bent tamen infortuniorum insultus,
scilicet a prima Ianuarij usq; ad initiū
Febru-

Februariȷ́: īde à.20. Aprilis, ad.18. Nouembris.

GEMINI.

NAti ſub Geminis, ut homines mobiles, uerſuti, ſubimprobi, uafri, perferent timores, opprobria, inſidias, cum multorū inimicitia, ſic & omnia Geminis ſubiecta, idq; cū primis a.13. Ianuariȷ́, uſq; ad.20. Aprilis. Inde ab undecima Octob. in finē uſq; anni.

CANCER.

NAti ſub Cancro, ſicuti homines molles, cōmertȷ́s, et rerum affluētia gaudebunt, & ſi quæ alia illi ſubiacent, augmentum uitæ, & incrementa ſubſtantię percipiēt. Attamē afflictiones, præter Eclipſiū minas, priuatim tolerabunt, in ȷ́ſdem temporibus, ut in Ariete diximus, perſentiſcent.

LEO.

NAti ſub Leone, ut uiri præſtan-
tes, benigni, accepti apud alios,
cum omnibus adhærentibus, in ſimpli
citate ambulabũt, & in fide & ueritate
& magnis afficientur honoribus. Re-
ges & prĩcipes exaltabũtur nihil omi-
nus reuereantur eoſdem dies, quos in
Tauro annotaui.

VIRGO.

NAti ſub Virgine, ueluti homines
ingenioſi, docti, ac aliæ res ipſi
dicatæ, abſconditis rebus caute domi
mihi abunt, ſed illis mẽſibus & diebus
ſibi cauebunt, quos ſupra in Geminũ
quadrangulo ſui anteſignano memini.

LIBRA.

NAti ſub Libra, ut homines deli-
cioſi, diuitiarum cõgeſtores, mu-
ſici, atq; alia illi ſubdita. Prole delecta
buntur,

buntur, eruntq; induſtri. Incõmoda illis temporibus ſentient, ſicuti in Ariete & Cancro prædixi.

SCORPIO.

NAti ſub Scorpione, ut homines, inſidioſi, bellicoſi, & uitæ neglectores, una cum rebus illi addictis, ob maiorem in eo coniunctionem, peſte, & armis opprimentur, præcipuè per iſta tẽpora, ſcilicet ut in Tauro Leoneq; predixi. Cætera cum delectatione peragent.

SAGITTARIVS.

NAti ſub Sagittario, ut ſunt Libri mundi, recti amatores, & alia illi adiecta, incendijs, & diuturnis infirmitatibus ſubiacebunt, & hoc ob coniunctionem Saturni & Martis in eo, damna tam ſibi, q̃; ſuis in Geminis &

Virgine præſcriptis diebus uereātur.

CAPRICORNVS.

NAti ſub Capricorno, ut homines inſuaues, moroſi, auari, & omne quod illi adhæret, rei uxoriæ operam dabunt, mutationes uarias peſtemq; mortiferam, ob eclipſiū portenta experientur, mēſibus & diebus, ut in Ariete ſuprà patet.

AQVARIVS.

NAti ſub Aquario, tetrici, feri, inhumani, ſimul ac alia huic ſigno ſubiecta, epidemijs laborabunt, peregrinabuntur, & religioſa negotia diſputabūt, & tempora infauſta habebūt ut eſt in Tauro.

PISCES.

NAti ſub piſcibus, ut ſunt homines liberales, prudentes, ingenui

una

unà cum reliquis illis addictis, artibus regnabunt, & dignitatibus feruentur sed declinent osores, tempestatesq;, ut supra in Geminis monuimus.

DE SEPTEM SPECIAlibus stellis Planetarum.

SATVRNVS.

SAturni liuida ples, macra, tarda, taciturna, uorax, solitaria, laboriosa, tristis, auara, austera, inuida, animaduertẽs alijs, suę sentẽtię addicta, & pecuniarũ cumulatrix est. Quales potissimum Iudæi & Mauri, decrepiti senes, heremitæ ac monachi sunt. Quibus annumerantur, agricolæ, uinitores, lapicidę, cemẽtarij, figuli, sutores, pellifices, coriarij, cloacarij cum similibus.

Vere damna & paupertatē, adhęc rabulas quasdam infirmitates, accusationesq́;, tam in se, quam in filijs lugebunt, fauores tamen aliquid ac gloriæ Solares illis Lunaresq́; homines impartient.

Aestate licet in diuitijs, sapientia, fide, & iteneribus nōnihil moliri incipiant, idq́; Lunarium pręcipua opera retrogressum tamen & Scorpij caudā, lucis suę subinde tenebras pungentem sentient.

Autumnus rerum suarū augmenta percipient, opprimereq́; Iouiales inuidiose conabuntur, sed caueāt uicissim captiuitates, & hostium insultus.

Hyeme exaltabuntur suo quodam modo in magisterijs, professionibus, contractibus & matrimonijs; haud tamen

men citra contentiones, & prelia cum Martialibus.

IVPPITER.

IOuis rosea proserpia, munda, uere cunda, uerax, iusta, pacifica, misericors, liberales, magnanima, humana religiosa, proba & honorifica est, talesq; precipuosuirilis ætatis homines, magistratum sublime gerentes, Episcopi, abbates, prelati, iudices, nobiles, & consiliarij sunt. Quibus comparantur põtifices, cardinales, parrochi, cõcionatores, canonici, iurisperiti, sapientes & docti.

Vere hi tristitia, partim per saturninos, partim per Martios, oppressi iacebunt, nisi quatenus solaris generositas opem tulerit. Laborabunt item pudendorum, ac pedum morbis, peri-

culaq; ex nauigationibus & seruis sub ibunt.

E estate plurima in suis sacris censi busq; miranda, uafriciæ, & ambiguis legationibus perpetrabunt, ualde a uenereis mercurialibusq; impediti.

Autumno melius habebunt, incipient enim cristas, benefactoribus Mercurialistis freti, erigere; licet semp subdolos uicinis illis Saturnus immissurus sit.

Hyeme regnabunt plane & sublimes erunt, Martialiū beneficio, nisi Solarium maiestas splendoris aliquid ademerit forte illis.

MARS.

MArtis filij ruffi, concitati, ualidi, temerarij, iracundi, cõtumeliosi, rixosi, superbi, crudeles, cõuiciatores, uinosi,

uinosi, impudētes, seditiosi, impij, uersuti, feruidi, arrogantes & indomabiles sunt. Et tales imprimis Turcæ, & Tartari, iuuenes, belli ductores, Capitanei, Milites, Equites, Satellites, & uexilliferi, quibus ex professo socian-tur Medici Chirurgi, Alchimistæ, fabri, ferrarij, laniones, quicq; cruore & igne gaudent: cōuiciatores, homicidę, prædones, latrones, incendiarij, lictores, carnifices. &c.

Vere inglorij & damnati languescent, soliq; Mercuriales illis pręter naturam commodabunt.

Aestate erumnosi, odiosiq; ac foris fient, & ni labori terræ, aut abditis naturæ incubuerint, nullum operæ precium de iure suo ferent.

Autumno nōnihil prosperabuntur

substantia,

ſubſtantia, ſed caueāt inimicos tumul-
tus, peſtem, & populi in ſacra furorē.
Hyeme prouidenter & callide, mul
torum beneuolentia abutentur, mer-
catuſq; recōditos & laſciuia multa lo-
uialium ſocietate admittent: at interi-
tus tunc metuere diſcant.

SOL.

SOlis pulchri nati, generoſi, exi-
mij, prudētes, ambitioſi, graues, ho-
norabiles, potentes, curiales, opulenti
ingenioſi, cuiuſmodi ſunt conſiſtentis
ætatis homines: reges, principes, Bar-
rones, & magnates, una cū auri fabris.
Vere tam iuſtis moribus, quàm ge
neroſis artibus fulgebūt, ac ex magni
ficentiſſima felicitate ipſorum dignita
tem multis tum conferent, tum reſtitu
ere ſatagent.

Aeſtate.

Aestate religionis & rei pub. caussa plurimum peregrinari compellentur, nec tamen mēdacia, calumnias, pedūq; labores effugient.

Autumno. aduersis multis & ob fidem uagam, & ob itinerum anxietates implicabuntur.

Hyeme. paulo maiorem obedientiā pluresq; beneficiarios nanciscentur ac Iouialium aliquot ordinibus deijcient.

VENVS.

VEneris nitiluli nepotes, uenusti cōpti, delicatuli, lasciui, hilares, mãsueti, suaues, sociabiles, benefici, decentes, desides, & pusillanimes, uti in uniuersum Saraceni sunt, adolescētes uirgines, musici, mimi, lusores, saltatores, ioculatores, pictores, sculptores, gemmarij, phrygiones, tinctores, sertores,

res, amatores, meretriculę & cęteri hu iusfarinæ homines.

Vere. habebunt cõmoditates à Lunaribus, facientq; festa solenniter Veruntamen latrocinia illos in suis peregrinationibus, morsq; pollida terrebunt.

Aestate partim epidemias capitales lugebunt, Iouialibus exosi, partim in perscrutandis naturæ rebus solliciti, pariter ac negotiosi erunt, diligenturq; à Mercurialibus.

Autumno. non tam magnarum rerum dispensatoribus sublimes, quàm in profectionibus, magisterijsq; sapiẽtes erunt. Saturnia tamen proles, subinde ipsos inuidia onerabit.

Hyeme. fortunam in peregrinationibus, amicos & benefactores ex fama

adquirent

adquirent. Verũ infirmitates multas ceu Cordalgram, & fœmorum dolores perpetientur.

MERCVRIVS.

MErcurij uarium germen, uafrũ, ſagax, proteruum, doloſum, myſteriosſum, perſpicax, mendax, inconſtans, leue, æmulatorium, impetuoſum & obliuioſum. Quemadmodũ pueri, & iuxta punicorũ opinionẽ Chriſtiani ſunt: quibus congeneres putantur Negotiatores, Mercatores, Scribæ, Poetæ, Aſtronomi, Arithmetici, Philoſophi, Diuinatores, Contẽplatores, nouarum artium inuentores, Phiſici, ludi magiſtri, literis incũbentes Calcographi, & pictores.

Vere. exaltabuntur, tum proprio ingenio, tũ Martis fauore, cuius tamẽ

uaframenta ſemper ſuſpecta habeant.

Aeſtate. uerſatili ſapientia, fidem, itinera, & negotia ſua conficient, ſed ob oculorum infirmitates carceres, & accuſationes, dolos dolebunt.

Autumno. gloriolas ex ſubtilitate uenabuntur, uerũ pectoris infirmitatibus afficientur laborioſiſſime, moreſq; & perditionẽ à Venereis, ſi poſſunt, euitent. Cæterum prudentia & religio, plurimorum ex his uacillabit.

Hyeme. uariabiles actiones ipſorũ fient: contentiones etiam ob morũ artiũq; cauſas illis à Saturnia gente incũbent, proinde æmulorũ inſidias etiam peſtemq; timeant.

LVNA.

LVnę alba propago, mobilis, errãs cogitabunda, timida, uagans, prodiga,

diga, susurratrix, futilis, & nouarum rerum sparsores: quales sunt infantes, ignobile uulgus, reginæ ac imperiosæ matronæ, apparent, & assectas habēt, quos aquæ delectant, institores, molitores, balneatores, nautas, piscatores, nuncios, tabelliones, & huiusmodi.

Vere. ineunte, concordes inter se quidē esse gaudebūt, multiplicabūtq; liberos, at agros, fundos, ædes, iura propria, atq; desiderabilia cuncta ipsorum, uix præ tyrannis tuebuntur, nōnihil tamen pietatis à Venereis, ægrisq; Iouialibus expectent.

Aestate. uictum & redditus locupletabunt, habebūtq; Saturnios homines amicos, uerum noua lege, legationibusq; irretiti, simplicitatem suā luent.

Autūno ob religionē, sectas, magi-

casq; disciplinas, sana consilia respuēt, ac īfaustas peregrinationes perficiēt.

Hyeme infirmitates uentris, proditiones seruorum, dolos malos, & uincula undiq; patientur.

DE DVODECIM MENsibus huius anni.

IANVARIVS.

IAnuarius primus mensis huius anni habet dies. 31. Luna uero. 30. Et est nox sedecim horarum dies uero octo. incipiet cum maximus tempestabus, & horibilibus uentis, quod arbores radicitus euellentur, patienturq; per multi uaufragium, & in aliquibus locis terremotus, eritq; nebulosum ualde, & apprime frigidum, interdum siccum, & interdum humidum. Nouilunium

nium erit.25. Decembris anni 43. hora nona, min.54. post prandium, erit frigidum, humidum, cum uentis turgidis Prima quarta erit secūda Ianuarij, hora secunda, minut.28. ante prandiū, bonū, clarū, tamen frigidū, & in multis locis niuosum, pluuijs mixtū. Ventus erit in Oriente & in septemtrione. Pleniluniū eclipsale erit decima Ianuarij, hora sexta, minut.14. ante prandium, satis bonū, tamen humidū, uentus erit in Oriēte. Vltima quarta erit decima septima Ianuarij, hora quinta, min.51. post prandium, frigidū nimis, uentosum, humidū, uentus erit in Septētrione & Occidente.

FEBRVARIVS.

FEbruarius secundus mensis huius anni, habet dies. 28. Luna uero.30.

Nox

Nox habet horas quatuordecim, dies uero decem, incipiet cum intemperato aëre, & tempestatibus magnis uentoq; maximo, erit frigidum & pluuiosum. Nouiluniũ erit. 24. Ianuarij, hora quĩta, min. 51. ante prandiũ, cũ eclipsi solis ualde frigidũ, cum gelu & niue. Ventus erit aliquando, in Oriente, aliquãdo in Occidente. Prima quarta erit ultima Ianuarij, hora decima, minut. 21. post prandiũ, tẽpestates cum pluuijs. Ventus erit inconstans. Plenilunium erit octaua Februarij, hora decima, minut. 44. post prandium, frigidũ uẽtosum, cum grandine & pluuijs. Ventus erit uariabilis. Vltima quarta erit 16. Februarij, hora prima, minut. 2. ante prandium uentosum, frigidũ. Ventus erit aliquando in Oriente, aliquã-

do

do in Septemtrione.

MARTIVS.

MArtius tertius mẽsis huius anni, habet dies.31. Luna uero triginta. Nox habet horas duodecim, dies totidem, incipiet satis austeré, & paulatim rudius extendet uim suam cum maximis tẽpestatibus & uentis mortiferis. Nouiluniũ erit.22. Februarij, hora decima, minut, 25. post prandiũ, ualde frigidũ, humidũ & uentosum. Ventus erit in Oriente, & interdũ in Occidente. Prima quarta erit prima Martij, hora quinta, minut.22. post prãdiũ satis bonũ, tamẽ uẽtosum: nebulosum & frigidũ. Flabit uẽtus borealis. Pleniluniũ erit nona Martij, hora undecima, minut.27. ante prandiũ, temperatũ, bonũ, clarum aër. Ventus flabit zephirus.

phirus. Vltima quarta erit.16.Martij hora ſexta,minut. 60. ante prandium, ſatis bonum. Ventus erit interdum in Occidente,interdum in Oriente.

APRILIS.

APrilis quartus menſis huius anni habet dies.30.Luna todidē. Nox habet horas decem,dies uerò quatuor decim. Nouiluniū erit.23.Martij,hora undecima, minut. 25. ante prandium. ſatis bonū ut tēpus exigit. Ventus flabit Zephirus & interdū Boreas. Prima quarta erit ultima Martij hora duodecima,minut.47. in prādio,frigidū uentoſum. Ventus erit in Occidente, aliquando in Oriente. Pleniluniū erit ſeptima Aprilis,hora decima,minut.3 poſt prandiū temperatū aër. Ventus erit Orientalis. Vltima quarta erit.13 Aprilis

Aprilis, hora duodecima, minu.14. in prandio, ſatis bonũ, aliquando turbulentũ. Ventus erit Septemtrionalis & Occidentalis.

MAIVS.

MAius quintus menſis huius anni habet dies.31. Luna uero.29. Nox habet horas octo, dies.15. Nouiluniũ erit.22. Aprilis, hora prima, minut.25. ante prãdiũ, pluuioſum cũ aëre turbato. Ventus erit in Occidente, & aliquando in Oriente. Prima quarta erit ultima Aprilis, hora quarta, minut.22. ante prandiũ, tempeſtuoſum, frigidũ cum pluuijs, eritq; tẽpeſtas & fulgura, tonitruaq;. Plenilunium erit ſeptima Maij hora ſexta, minut.19. ante prandiũ, ſatis frigidũ. Ventus erit meridionalis & Occidentalis. Vltima

quarta erit. 13. Maij, hora octaua, minut. 27. post prandium, uentosum, pluuijs mixtū. Ventus flabit Fauonius & Zephirus.

IVNIVS.

IVnius sextus mensis huius anni habet dies. 30. Luna uero. 29. Nox habet horas sex, dies uero. 31. Nouiluniū erit. 21. Maij, hora quinta, min. 40. post prandiū, pluuiosum, uentosum. Ventus erit Occidentalis. Prima quarta erit. 29. Maij, hora quinta, min. 55. post prandiū, uentosū, & in fine pluuiosum Ventus erit Meridionalis & Occidētalis. Pleniluniū erit. 5. Iunij, hora prima, minut. 17. post prandiū, uariū turbulentū. Vētus erit aliquando in Occidente, aliquando in Oriēte. Vltima quarta erit duodecima Iunij, hora sexta,

ta, minut. 33. ante prandium, aër erit intemperatum. Ventus erit in Meridie & in Occidente.

IVLIVS.

IVlius septimus mensis huius anni, habet dies. 31. Luna uero. 29. Nox haber horas. 8. dies uero. 16. Nouiluniũ erit. 20. Iunii, hora septima, minut. 30. ante prandium, turbulentum, & erũt tempestates, tonitrua, fulgura, pluuiis mixta. Prima quarta erit. 28. Iunii. hora quinta, minut. tertia, ante prandiũ, intemperatum aër. Ventus incõstans. Pleniluniũ erit quarta Iulii, hora octaua post prandium, calidum. Vẽtus ut supra. Vltima quarta erit undecima Iulii, hora septima, minut. 22. post prãdiũ, bonũ, clarum, interdum humidũ. Ventus uariabilis.

AVGVSTVS.

AVgustus octauus mensis huius anni, habet dies triginta unũ. Luna uero triginta. Nox habet horas. 10. dies uero. 14. Nouiluniũ erit. 19. Iulii, hora decima, minut. 7. post prandium, satis bonũ. Vẽtus flabit Boreas, zephirus & Fauonius. Prima quarta erit. 27 Iulii, hora prima, min. 24. post prãdiũ, humidũ. Ventus erit nunc in Oriente nunc in Occidente. Plenilunium erit tertia Augusti, hora tertia, minut. 32. ante prandium, humidum, interdum, bonũ & calidum. Ventus instabilis. Vltima quarta erit decima Augusti, hora decima, minut. 34. ante prandiũ, bonum, temperatum, satis calidum. Ventus Orientalis.

SEPTEMBER.

SEptember nonus mẽsis huius anni, habet

habet dies triginta. Luna uero totidē. Nox habet horas duodecim, dies tantũdem. Nouilunium erit.18. Auguſti, hora duodecima, min. triginta in prandio, bonum & calidum. Ventus Occidentalis. Prima quarta erit.25. Auguſti. hora.7. poſt prandium, mi.17. humidum, uentoſum. Ventus Occidentalis Plenilunium erit prima Septembris, hora prima, minut.10. prandium, humidũ. Vẽtus uariabilis. Vltima quarta erit.9. Septembris, hora quinta, minut.27. ante prãdium, tempeſtuoſum, uariabile. Ventus Occidentalis erit.

OCTOBER.

OCtober decimus menſis huius anni, habet dies.31. Luna uero.29. Nox habet horas.14. dies uero decẽ. Nouilunium erit.17. Septẽbris, hora

ſecunda, minut. 14. ante prandium, humidum. Ventus flabit nothus. Prima quarta erit. 24. Septembris, hora prima, ante prandium, uentoſum, pluuioſum. Ventus flabit Boreas. Pleniluniũ erit prima Octobris, hora prima, minut. 26. ante prandium, interdũ bonũ, interdum humidum. Ventus inſtabilis. Vltima quarta erit. 8. Octobris hora undecima, minut. 51. poſt prãdiũ, temperatum, ſatis bonũ. Ventus nũc Occidentalis, nunc Orientalis.

NOVEMBER.

NOuember undecimus menſis huius anni, habet dies triginta. Luna totidem. Nox habet horas. 16. dies uero octo. Nouilunium erit. 16. Octobris, hora tertia poſt prandium, humidum. Ventus Occidentalis. Prima

quarta erit.23.Octobris, hora octaua ante prandium, uentosum, frigidum. Plenilunium erit penultima Octobris hora quarta, min. quadragesimo quarto post prandium pluuiosum. Ventus occidẽtalis. Vltima quarta erit.7.Nouembris, hora.7.minut.31. post prandium, frigidum. Ventus Boreas.

DECEMBER.

DEcember ultimus mẽsis huius anni, habet dies. 31. Luna uero. 29. Nox habet horas.18.dies uero.6.Nouilunium erit.15.Nouembris, hora secunda.minut.48.ante prandium, frigidũ nimis, uentosum cum gelu. Ventus orientalis. Prima quarta erit hora quinta, minut.5.post prandiũ. Ventus horribilis, imprimis frigidũ. Ventus Occidentalis. Plenilunium erit hora deci

ma,minut.39.poſt prandium, inſigniter frigidum,uentoſum. Ventus inter dum Occidentalis, interdum Orientalis. Vltima quarta erit. 7. Decembris,hora ſecunda,minut.18.poſt prãdium uentoſum,uariabile. Ventus Occidentalis.

FINIS.

PROLOGVS.

PHYSIOGNOMIA SCIENTIA prorsus regia, qua mores hominum con/
iecturis extrarijs plane solent innotescere. Si/
quidem uultus proditor est animi, incessus cor
ipsum nudat, et uoces, autore Aristotele, notæ
sunt interiorũ cogitationum, quæ omnia sub
Physiognomica ueritate continent̃. Lucius Sil/
la, Cęsar dictator, duce hoc naturali iudicio mo
res aduersarios sub uultu latentes (ut canit Hora
tius) non semel exacte deprehenderunt. Plautus
quoq; nitoris comici parens, lenones aut facino
rosos homines uberi sermone delinians, cor/
poreis signis infamibus, infames esse significare
contendit. Præterea uates epigrammaticus na/
turæ se non penitus ignarum professus est, cum
Zoylum hominem pessimum, pessimis corpo
ris mendis nota satyrica perstrinxit. Idcirco aca
demici ac peripatetici testantur philosophi, ani/
mam nostram corporis habitum sequi, quorũ
omniũ peritissimus Plato in sua physiognomia
scribit his uerbis. Homo qui membra habet si/
milia alicui animali, illius sequitur naturam, ut
qui nasum aquilinum moribus aquilinis uiuit,
hoc est, magnanimitate, crudelitate & rapaci/
tate. Qui uero uultum sicut canes Hispani ha/
bent, tales iracundi & loquaces iudicantur à